



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Diabolus per Proteum indicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

V. (f) Proteum exactissimè refert diabolus, qui meritò *panurgus*, & mille fraudum artifex appellatur. In omnes se vertit formas, etiam in angelum lucis 2. Cor. 11. Quos non fallit ut juvenis, decipit ut senex: & in pede lædit, quem non potest in capite vulnerare. Quod quàm sedulò observet, vel in uno Jobo apparet. Hunc enim, quem prosperitas non emolliverat, variâ tempestate jactavit. Primò in boves arantes & asinos pascentes grassatus, in abigeum se vertit. Mox latro de prædone factus, servos ejus occidit. Eodem pœnè momento in ignem transmutatus, & oves & pastores combussit. Mox in camelos impetum fecit per turbas Chaldaeorum. Quid amplius? ventum se fecit, ut domum concuteret, filiosque, & filias ejus opprimeret epulantes. In pestem quoque abiit, & innocentem *percussit ulcere pessimo, à vertice usque ad plantam pedis*. Denique in uxorem ejus migravit, & usque ad animæ medullas linguæ suæ virus trajecit. Quid, quòd Avernalis iste Proteus artibus suis dolosis Christum ipsum circumvenire tentavit: quem post quadraginta dierum jeunia, non tam panibus, quàm lapidibus petivit; nunc pinnaculi præcipitio sollicitavit; nunc ostensis omnibus regnis mundi ad idololatriam allexit; eumque jam gulâ, jam fastu, jam cupiditate rerum terrenarum oppugnavit. Usque adeò nemo securus est ab infestationibus Stygij hujus Protei.

VI. (g) Proteo in arborem fabulosam mutato addamus, eruditionis causâ, historicam arborem ambulantiem, de quâ Joannes Bisselius Dec. 2. Ruin. III. in Orpheo. Nostra quoque memoria, inquit, bello, quod Moscos inter ac Polonos gestum est ad Smolenskum urbem, fuit è speculatoribus Sarmatis, qui nuntii functus officio, de Polonis ad Moscos, & ab his ad illos, ultro, citroque commearat; inusitatæ fraudis ingenio semper incolumis, & hostilibus castris indeprehensus. Nam, ut multa, pæupertas excogitat, pretij spe propositâ, cum is aliter nisi ponè stationes ac vigiliis adversariorum, iter facere non posset ad mandata perferenda: frondibus arborum semper virentium corpus suum universum à summo capitis, ad summos usque pedes circumtextit; brachijs etiam ad lumbos diligenter adstrictis. Circum humeros autem & scapulas per ambitum, ut in arboribus natura fert, aliquanto latius ramos diffuderat: donec sensim supra capitis verticem coirent in cacuminis figuram. Hoc ille cultu tali, magnam ausus & periculi plenissimam functionem, noctibus ambulabat totis, ut hominem hunc, quisquis obivus in eum incidisset, spectrum credidisset arboreum, aut mobiles quas-

(f) Item diabolus. (g) Homo arbor.